

nes firmae consistere debent nec ab ullo turbari »donec et quousque Sedes Apostolica aliud super hoc duxerit ordinandum«. ⁴⁸

Omnia hucusque exposita jura et privilegia enumerat Nicolaus V. in bulla »Ineffabilis« diei 10 Februarii 1448., qua divisit Vicariam Bosnae in bosnensem stricte dictam et alteram Hungariae nominatam cui praedicta jura conservare voluit. ⁴⁹

His jam concluditur series documentorum de Franciscanorum Vicariae Bosnae juribus et atque eorundem mutationibus decursu temporis factis ante interitum regni, quod solummodo diem expectat irruptionis Turcarum, quorum hoc praeda erit.

Ex omnibus supra dictis simul consideratis constat Franciscanos in croaticis regionibus virtute bullae Joannis XXII necnon litterarum aliorum Romanorum Pontificum in possessionem parochiarum munerisque pastoralis sequentibus modis devenisse:

1) suarum domorum et ecclesiarum inter neoconversos fundatione et erectione;

2) fundatione domorum et ecclesiarum atque curae pastoralis susceptione in partibus derelictis, habitatis permixtim ab haereticis, schismaticis et catholicis, ubi nondum erant parochiae canonice erectae;

3) in regionibus, ubi erant jam parochiae et clerus saecularis, sed vel aufugit vel expulsus fuit;

quacumque verborum forma per Nos vel Sedem praefatam etiam motu simili concessi seu concessae aliquos fratres ipsius Vicariae in ipsorum capellanos, nisi de speciali dicti Vicarii seu Custodum vel fratrum sufficientem desuper ab ipso Vicario facultatem habentium licentia, habere praesumant«. Ibidem, 497 n. 1006.

⁴⁸ »... quos omnes et singulos quoad ipsorum animarum curam vestris... regimini et gubernationi, donec et quousque Sedes Apostolica aliud super hoc duxerit ordinandum, per praesentes subesse decernimus«. Haec clausula desideratur apud Waddingum, sed in codice adest et in posterioribus consultationibus et decisionibus S. C. de Propaganda fide non semel in considerationem venit, uti suo loco patebit. Ibidem, o. c. 496, n. 1006.

⁴⁹ AM, ad an. 1447 n. 15 (XI, 327 ss); Hüntemann, o. c. 591 n. 1165.